



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examinis Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Industria XI. Ratio Examinis, sive actus censorii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

præcipuus debet esse labor hujus Examinis atque conatus, ut nempe ab hoc examine voluntas affurgat robustior, validior, cautior, & quidem spissior densiorque, ne facile effluat in defectus, ob quòd etiam examen hoc concludendum est humili confessione efficacique oratione ad Deum, cujus virtute & gratiâ solidemur roboremurque in voluntate, ut etiam reliquæ cogitationes nostræ, diem festum agant Domino per gratiam ipsius.

INDUSTRIA XI.

Ratio Examinis sive Actus Censorii.

Censorum & Censuræ officium, quòd fuerit olim apud veteres Romanos, notum ex historiis Romanis. Hanc censuram, ut quandoque agat Vir spiritualis in sua quoque civitate ac Republica, expedit profectui in virtute, ut per censuram omnium partium, potentiarum, occupationum, actionum, exercitationum, passionum, negotiorum, ratio fructus, modus, impedimenta, defectus, vitia, sterilitates recognoscantur, corrigantur, puniantur. Industria ergo præfens præscribit modum agendæ hujus censuræ, per examen, quòd debet esse veluti supremæ potestatis supremique judicis ultima ac decretoria cognitio ac dijudicatio, qualis erit vel in puncto mortis, vel in die ultima mundi, à Deo cum unoquoque homine. Examinis hujus erit hæc series.

1. AD hoc examen actumque censorium, exuat homo se ipsum, & tanquam non ipse sed
 alius,

alius, non se, sed alium à se, & quidem hostem Dei, hostemque suum & summè reum iudicaturus censuraturusque sit, eo animo sit.

2. Induat Personam Domini sui, hoc est Jesu Christi, cui omne iudicium dedit Pater in manus, atque ita & in præsentia, & in Persona Iudicis Jesu Christi, (qualem vel Daniel, vel Joannes, vel se ipsum Christus describit) se iudicet.

3. Statuat se ipsum coram semetipso nudum, solum, squalidum, reum, abjectum, incurvum, miserabilem (si placet etiam moribundum, & iam moriturientem) in sua conscientia præconvictum, ante tribunal veluti Iudicantis censuramque agentis Dei.

4. Videat quod & quale vivendi genus tenuerit, per id tempus, hac scilicet die (hora, mense, semestri, anno) aut diei parte temporisve, ut plurimum negligentia, effusionis, sensualitatis, mixti fervoris, inconstantia, amaritudinis, &c. Videat quæ fuerit perfectio in bono, quis animi conatus, quæ minimarum circumstantiarum observatio. Videat quod pondus ad malum, quod in malo, quod in sensualibus, ac naturalibus, quotus numerus & relapsus, quæ rebellio, vel dissimulatio ad lumen conscientia relatrantis, dubiumve moventis, de agendo de non agendo, de sic, vel non sic agendo. Videat quid, ubi, quoties, quare, omissum, neglectumque? quàm parvæ res, quàm magnas, Deo gratas, impediverint? quantæ bona omissa, quantæ occasiones elapsæ, qui instinctus, proposita, exempla, motiva, rationes æternæ, sublimes? Videat circumstantias hodiernas, si quæ speciales actionibus, passionibus, & sua

sua vitæ adfuerint, quidque ex eis damni, com-
modi, documenti, cautelæ, profectus decerptum
sit. Videat quomodo suppleti defectus, quibus,
& qualibus supplementis, ac satisfactionibus, pas-
sionibusque redempti. Videat an, omnia fideli-
ter Deo restituta tum semper aliàs, tum hodie,
tum hoc extremo die (si examen hoc sub noctem
facit) tempore, an fideliter & integrè conservata,
aucta, promota, ac integrè, & plenè, & resolu-
te ejus voluntati, potestati, curæ, gratiæ, gustui,
gloriæ, resignata, sacrificata, holocaustificata.

Videat quomodo balneata sit & purificata tota
anima in balneo JESU Christi, &c. Videat quàm
ultionem sumpserit de se, tanquam de servo inuti-
li, otioso, malitioso, damnofo, prodigo, infideli,
ingrato, tam sibi ipsi, quàm toti communitati crea-
turarum, quàm Deo & Christo, videat quo co-
nato, rigore, perseverantiâ, fide ad Deum, zelo
ad jus Dei sarcendum, aut servandum, quàm
exactâ, in minutis quoque diligentiam, quàm abs-
que dissimulatione, festinatione, tumultuatione,
perfunctoria inspectione, hæc ipsa præsens censu-
ra acta sit agaturve, an præsens hesternam adæ-
quet, vel superet?

5. Peractâ hunc in modum censurâ si seipsum
reum, & culpabilem repererit, moveat sese loco,
constituat in novissimo, & in centro novissimi:
deinde, sumat alias pœnas, easque exaggeratas
intensione, saltem interioris affectus ad Deum,
quâ bonum, iustum, amabilem, dignum, supre-
mum. Ac denique sese (postquàm de se fecerit
quidquid potuerit) Deo deserat, ut ille faciat se-
cum insuper quidquid volet, misereatur sicut sciet
& volet, pœnas de se sumat quas debet & potest,
quas-

quasque homo ſe meritum ſciet & fatebitur, ſicque ſeſe abjiciat, relinquat inque poteſtate, ac manibus ultimæ, abſolutæ, adorandæ, Dei voluntatis deferat & ſepeliat.

HÆC cenſura ſemper habebit locum, præcipuum tamen ultimum diei ante ſomnum tempus ejus eſſe deberet, quando omnibus peractis, finitis, concluſis, in die, omnia ad ultimam & decretoriam cenſuram vocari poſſunt, ut ultimariè perficiantur, expiantur, ſuppleantur, adeò ut hæc cenſura, non tantùm omnia ante ſe toto die acta cenſuret, verùm etiam in ſemetipſam vim ſuam exerat, ſuique ipſius cenſura ſit. Proderit ad multa hoc genus exercitii, modò ſit in exercitio, ut alia præteream, proderit ad hoc, ut homo ſit, quantum illi fas ſemper ferè abſque obligatione culpæ; & pænæ coram Deo, quo bono neſcio an aliquid ſibi homo meliùs optare poſſit. Et denique quidquid ſit de aliis fructibus, quid æquius quam ut homo, qui nunquam poteſt carere peccatis, & defectibus, nunquam etiam careat aliſiduis peccatorum defectuumque expiationibus. Ego ſanè in hac ſum opinione, hominem benè ſpiritualis profectus amantem, ſicut ex fragilitate quotidie meretur purgatorium, ita quoque poſſe, ac ſi ſapiat debere quotidie expedire ſe ab hoc merito, atque id præſtari ab illo poſſe, tum aliis rationibus, tum hujus Examiniſ Cenſorii accurata & diligenti, & non in anguſtias temporis feſtinationiſque compacta exercitatione.